Et eiciebat omnes uendentes et ementes in templo, et mensas num-
mulariorum euertit, et cathedras uendentium columbas. Gene-
raliter itaque super docuit saeculares a dei templo abesse debere contr-
actus; specialiter autem nummularios pepulit. Qui sunt nummularii nisi qui de pecu-
nia domini lucrum quaerunt nec bona malaque discernunt. Pecunia enim domini
scriptura diuina est. Nam et denarios seruis distribuit profecturus, et talenta
diuisit, et pro sanitate hominis uulnerati duo aera stabulario dereliquit.
Duobus enim testamentis uulnera nostra curantur. Sed tu quasi bonus nummularius elo-
quia domini, eloquia casta, argentum igne examinatum redde purgatum spiritu se-
ptiformi, nec adulteram imaginem regis, quo et sathanas transfigurat se in
angelum lucis, impia commutatione suscipias, nec in nummum principis
tui figuram arrianae fraude perfidiae thesauro tuo misceas, nec pecuni-
ae sono aures templi fidelium, ut religiosarum audientium scripturarum tin-
nitus aeris excludat, uel religiosis affectibus habendi cupiditas inse-
ratur. Non quo omnes excludantur nummularii: sunt enim et boni. Denique pecuniam
meam inquit dedisses nummulariis, et ego ueniens cum usuris recepissem eam.
Quod si nummus est scripturarum, et usura est scripturarum. Cathedras autem uendentium co-
lumbas cur euerterit, secundum litteram non intellego. Neque enim nundina-
tores auium uendicare sibi poterant honorati alicuius in nundinis solium
dignitatem; nam quae praerogatiua dignitatis est in columbis? Admonet tamen
dominici forma baptismatis, quando descendit spiritus in columbae typo, eie-
ctos de templo huiusmodi mercatores, in ecclesia dei consortium eos non posse habere
qui sancti spiritus gratiam nundinentur. Gratis inquit accepistis, gratis date. Denique
Symoni qui sanctificandi munus pretio in se putauit posse conferri, respondit
Petrus: Pecunia inquit tua tecum sit in interitum, quoniam gratiam dei putas te
pecunia consequi posse; non est tibi pars neque sors in hac fide. Uenditores quoque
ouium et boum eos puto qui de labore alieno uel simplicitate fidei au-
ctionatores quaedam nundinas aucupantur. Aut quorum oues eiciuntur et boues,
columbae iubentur auferri, ipse uidetur iudeus excludi, esse enim sine co-
lumba, quia eorum dominus et successiones oderit et labores, et effundit; ut

License: CC-BY-NC – Einsiedeln, Stiftsbibliothek, Codex 166(413), p. p.%20289 – Ambrosius ‹Mediolanensis›, Expositio Evangelii secundum Lucam (http://www.e-codices.ch/en/sbe/0166/p.%20289)